



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LIII. Argumentum. Quia ob moram Mutuatarii in restituendo mutuo Doctores videntur concedere exactionem pœnæ; demonstratur, quibus conditionibus oœna in mutuo sit imponenda, & exigenda? Item ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

bitoris, verbis apertis, & claris, non obscuris, aut ambiguis, seu sub involucrio caremoniarum obiectis; & ubi per procuratorem creditum postulatur, consistet de mandato procuratoris, & ejus copia authentica exhibeatur debitori. Illustriss. Sperell. *decis.* 130. num. 15. quibus servatis debitor ex unica tantum interpellatione constituitur in mora. Menoch. *dict. casu* 220. num. 29. Roderic. *de annuis redditib. lib.* 2. *quast.* 15. num. 40. & Leotard. *dict. quast.* 81. n. 20. ubi notant, dictam debitoris moram sic contractam transmitti etiam ad hæredes tam activè, quam passivè; & non solum constituitur morosus debitor per interpellationem, sed etiam sine illa, quando dies est præfixus, & determinatus in contractu ad solutionem faciendam, juxta illud axioma, *Dies interpellat pro homine*: ut ex doctrina Cuiacii comprobatur Leotard. *d. quast.* 81. num. 29. & docent. Donell. *lib.* 16. cap. 2. *Verf. Quod. valet*, & Petr. Gregor. *Synagm. Jur. d. libr.* 21. cap. 15. num. 3.

4 Porro debitorem in Mora constitui absque interpellatione, multò magis procedit in altera specie Moræ, quæ ex Re, seu irregularis nuncupatur; & est illa, quam Jurisperiti dicunt procedere legum vigore: quibus statutum est de Jure, debitorem non solventem, morosum censeretur in pluribus casibus, quos numerat Menochius *de Arbitr. Jud. d. casu* 220. à num. 8. & seqq. Qui quidem casus ad tria genera rediguntur, videlicet.

1. Ad favorem personarum; quæ sunt pupilli, minores, Ecclesiæ, pia loca, fiscus, & Respublica; harum enim personarum debitores absque interpellatione constituuntur in mora si statim ac debent, non solvant. Gratian. *disceptat. forens. cap.* 241. num. 1. & 50. Leotard. *de Usur. quast.* 82. à num. 3. & seqq. nisi & ipse debitor esset pupillus, minor, locus pius, aut Ecclesiæ, tunc enim intraret regula, quod privilegiatus non utitur privilegio contra pariter privilegiatum. Vinc. de Franchi. *decis.* 16. num. 13. Peregrin. *de Fidecom. art.* 49. num. 87. Card. Mantica *de Conjectur. ultim. Vol. lib.* 7. tit. 10. numer. 28. & Gratian. *d. cap.* 241. num. 51.

2. Ad odium detinentium res alienas mala fide; quales sunt fures, raptores, mali administratores, injusti negotiorum gestores, ac iniqui usurarii, & feneratores. Scaccia *de Commerc. s. 1. quast.* 2. ampl. 8. numer. 114. Leotard. *quast.* 46. num. 13. & 15. & d. *quast.* 82. num. 27. & ex Theolog. Salas *de Usur. dub.* 39. num. 3. Reginald. *lib.* 10. cap. 26. num. 396. & Reb. *lib.* 11. *quast.* 10. numer. 4. Et

3. Ob naturalem æquitatem in contractibus ultro citroque obligatoriis, in quibus una ex partibus contrahentibus adimplevit quod debebat; nam altera non adimplens constituitur in mora ipso jure, & absque alia interpellatione tenetur ad id, quod interest. I. Julianus §. *ex vendito ff. de Actor. Empt. l. Curabit. Cod. eod. tit.* Menoch. *dict. Casu* 220. num. 22. & Leotard. *d. quast.* 82. num. 47.

Et hæc dicta fuerunt circa divisionem, seu species Moræ secundum Jurisperitos; quorum ingenti numero condecoratur Clerus noster; & ne eorum litterarii labores sub latebra viderentur neglecti, non me piguit (etsi plurifariam farcinarum) eosdem in medium asserre.

8 Caterum Theologi duas alias species Moræ

solent considerare, nempe Culpabilem, & Inculpabilem. Mora culpabilis est, quando dies solutionis advenit, & debitor negligit solvere; talis enim negligentia constituit debitorem in peccato. S. Thom. 2. 2. *quast.* 62. art. 4. ubi ait, quod sicut accipere rem alienam est contra justitiam, ita & detinere; quia propter talem detentionem invito domino, impedit eum ab usu rei suæ, & facit ei injuriam, ideòque peccat; nam debitor morosus, & fur æquiparantur. Reb. *d. oblig. Just. lib.* 8. *quast.* 7. num. 1. & ex Canonistis Abb. *in cap. fin. numer.* 2. *de Prescript. Afflict. decis.* 150. num. 4. & Illustriss. Sperellus *d. decis.* 130. num. 30. ubi *Quod Vinam*, (ait) veri Christiani adverterent, cum innumeri sint, qui etiam spreto juramento, solutionem differunt, & nec ullum de hoc scrupulum habent, adeò ut neque confessorio id aperiant. Et quod, Utinam, (adjungit Curia nostra) veri animarum Pastores, & Apostolici Concionatores observarent, ut in concionibus acriter morosos debitores redarguerent, & eosdem de peccato monerent, quod retardando solutiones committunt; & præcipue qui legata pia, & onera Misarum habentia non solvunt; piaculum sanè enorme, quod in hac Diœcesi casus reservatus est, ob ejus immanitatem contra cognatos defunctos; unde & animarum perditio, & familiarum ruina, bonorumque jactura procedit.

Mora autem inculpabilis est, si aliqua justa causa retardandæ solutionis subsit. Menoch. *d. Casu* 220. à num. 50. usque in fin. ubi septem causas refert, quarum præcipue sunt, si debitor aliqua exceptione seipsum tueri possit; vel si ex inculpabili accidenti impotens ad solvendum sit effectus. Reb. *dict. lib.* 8. *quast.* 7. n. 6. tunc etenim mora illa materialiter tantum mora dicitur, & in animæ judicio non obligat sub culpa ad interesse creditoris.

D E C I S I O LIII.

A R G U M E N T U M.

Quia ob moram Mutuatarii in restituendo mutuo Doctores videntur concedere exemptionem pœnæ; demonstratur, quibus conditionibus pœna in mutuo sit imponenda, & exigenda? Item an pecora possint dari in societate salvis capitibus?

S U M M A R I U M.

1. Pœnam à mutuatario non restituente mutuum an liceat exigere?
2. Pœna in mutuo ut sit licita, tres condiciones servanda.
3. Signum cognoscendi Usuram in mutuo.
4. Pecora æstimata dare in Societatem, ut redendantur cum eadem æstimazione, & fructus aqualiter dividantur, est Usura.

Bernardus mutuat tibi Ducatos centum cum pacto, ut statim eos restituere debeas anno transacto: quod si non feceris, solvere tenearis sex supra sortem singulis annis usque ad ejusdem sortis restitutionem. Quæritur, An sit Usura?

Concorditer responsum fuit à studiosis nostris, esse Usuram. Quandoquidem, etsi Theologi concedant, fas esse exigere à Mutuatario pœnam impositam ultra sortem, nisi præfixo termino solverit, ut probant Reb. *d. oblig. Just. lib.* 8. *quast.* 9. Bonacina *de Con-*

tract. dict. tom. 2. disput. 3. quæst. 3. punct. 7. & Salas de Usur. dub. 21. num. 2. ubi id esse licitum affirmat, etiam si nullum damnum emergens, aut lucrum cessans mutuator sentiat, ex auctoritate plurimorum DD. quos ibidem allegat; quibus ad stipulatur Cardinal. de Lugo de Justit. & Jur. disput. 22. num. 397. & disput. 25. num. 110. & Thom. Tamburin. de Triplici Jur. lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 5. ea ratione, quia mutuarius existens in mora peccat contra justitiam, & propter peccatum dignus est aliqua poena, quam etiam ipsi contrahentes possunt in exordio contractus statuere: Nihilominus hanc doctrinam arctant sub tribus necessariis conditionibus, videlicet quod mora mutuarii sit culpabilis, quod poena non sit excessiva, & quod non sit imposita in fraudem Usuræ. Rebellius, Bonacin. & Cardinal. de Lugo ubi supra; & novissime Maltrius in Theolog. Morali dict. disputat. 5. num. 57. At in casu proposito, Bernardus inficiari non potest, poenam sex ducatorum exigendam supra sortem singulis annis usque ad ejusdem sortis restitutionem, ab eo impositam fuisse in usuræ fraudem, & ad habendum lucrum hoc usurarium; licet enim varii sunt Doctores in indicandis signis, quibus cognoscatur animus usuræ committendæ in appositione poenæ; ita ut plures plura dixerint, (ut videre est apud supracitatos Theologos, nec non apud Lessium dict. lib. 2. capit. 20. numer. 129.) tamen Bonacina cæteris clarior dict. tom. 2. de contractibus disputat. 3. quæst. 3. punct. 7. num. 2. ex Salon. & Navar. notat, poenam censeri in fraudem usuræ appositam, quando adjectum fuit onus solvendi certam pecuniam summam singulis annis; prout Bernardus Mutuator stipulatus est in casu nostro; & per consequens judicari debet usurarius.

Hæc decisio non solum hac valida ratione firmatur, sed subsistere debet fortissimis argumentis per Curiam nostram adductis supra in Decis. XXXVIII. à num. 4. & seqq. ubi ex communi Canonistarum, & Jurisperitorum calculo probavimus, poenam conventionalem adjectam quantitati semper præsumi usurariam; cum nihil sit aliud, quam mutare nomen usuræ in nomen poenæ, & eam exigere ob mutuum palliatum, ut docent Genuens. in Practicabili. Eccles. cap. 686. Afflict. decis. 135. Rota part. 2. divers. decis. 90. num. 4. & Illustris. Episcopus Sperell. decis. 131. per totam, & præcipue num. 29. & 35. ubi plurimis rationibus, & doctoribus allegatis firmat, hujusmodi poenas conventionales adjectas quantitati usurarias censeri, etiam si dicantur appositæ ad taxandum interesse creditoris; quia id ab initio contractus fieri non potest; sed si mutuantis interest, sortem sibi in præfixo termino restitui, contra mutuatarium agat via juris, cum protestatione consequendi quod sua interest; factis tamen probationibus, & sententia Judicis obtenta super prætenso interesse; ut latius dictum est in eadem Decis. XXXVIII.

Fuit etiam propositus sequens Casus: & Quæsitum an sit Usurarius? Nempè.

4 **P**etrus tradit rustico pecora centum æstimata, cum pacto, ut quandocumque illa restituerit, ad eandem æstimationem restituat; & interim earum fructus, ac lana equaliter dividantur. Quæritur, An intret Usuræ labe?

Concorditer dictum fuit, labem usurariam intrare, & contractum hunc illicitum esse per ea quæ à nobis dicta sunt supra in Decis. L. cæsi pacta de Juvencis essent diversa. Hunc autem casum in his præcis terminis usurarium appellat Rebell. lib. 15. quæst. 6. num. 4. Azor. part. 3. lib. 9. cap. 7. quæst. 6. Reginald. in Praxi lib. 25. num. 405. Bonacina de Contractib. dict. disputat. 5. quæst. 6. punct. 5. num. 6. Trullench. in Decal. lib. 7. cap. 23. dub. 5. num. 11. Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 20. num. 4. Tamburin. de Tripli. Jur. lib. 9. tract. 8. cap. 11. Leotard. de Usuris quæst. 31. num. 7. ubi alios cumulat.

Ratio est; quia, vel pecora dicuntur vendita rustico per Petrum, ob æstimationem, cujus hæc est virtus, l. Si pro mutua 8. C. Si cert. petatur, & non potest Petrus recipere lucrum absque usura, cum in sit mutuum palliatum in expectatione pretii, & valoris pecorum: Vel dicuntur data in Societatem; & tunc injustitia est, & usura; cum Petrus velit capita esse salva, & nolit subire periculum mortis, seu casuum fortuitorum illius gregis, & interim habere medietatem omnium fructuum.

Neque prodesset Petro, si assereret, licite contraxisse ob implicitum contractum Assesurationis; quem fieri posse ex Navarro, & aliis dictum est supra in Decis. XXX. & videtur concedere Cardinal. de Lugo de Justit. & Jur. disput. 30. num. 49. Quia ex magis approbata DD. sententia per Bullam Sixti Quinti; (quæ incipit Detestabilis &c.) relata in Decis. XLIX. num. 3. reprobatus censetur contractus societatis cum assesuratione capitalis, & certi lucri cum socio, ut ex Philiar. Binsfeld. & Maldero notat Leotardus dict. quæst. 31. numer. decimo secundo. Sed stando etiam in doctrina, & opinione Cardin. Lugo, constat de injustitia, & usura ob medietatem omnium fructuum à Petro sibi reservatam; cum enim rusticus expensas victus, custodiam gregis, & labores in fructibus colligendis præstare debeat; majori lucro, & ampliori parte eorundem fructuum dignus reputatur, ut capitale tantis periculis subiectum securum servet, ut latè diximus in cit. Decis. L. & ibi Eminent. Cardinal. de Luca.

DECISIO LIV.

ARGUMENTUM.

Fortissimis motivis demonstratur, parcendum esse inimicis: Ac jucundis sed veris rationibus ostenditur, abstinendum esse à litibus.

SUMMARIUM.

1. Inimicitia extinguenda, ac sedanda ob decem rationes.
2. Cani assimilatus vindicativus.
3. Servus non à se, sed à Domino vindicandus.
4. Peccata dimittuntur ignoscensibus injurias.
5. Exempla Sanctorum pro inimicis orantium.
6. Inimicis ignoscere difficultas ex duobus. Horum resolutio.
7. Natura operatur contra seipsam, ut Deo obediat Auctori suo. Exempla diversa de hoc.
8. Mundus vili pendit non se vindicantes. Confutatio hujus dicti.
9. Gloriosum est parcere inimicis.
10. Dilemma contra vindicativos.